

1236, desembre, 19

Bernat Renall i la seva esposa Berenguera venen a la infermeria de Sant Daniel i a la seva procuradora el capmàs Renal! i diverses terres situades a Salitja, pel preu de 34 marcs de plata.

ASD núm. 114, perg. orig., 650 x 305 mm.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus Renalli et uxor mea Berengaria, per nos et per omnes nostros presentes et futuros, non ui compulsi uel fraude aliquo inducti, set bono animo et spontanea uoluntate ac nemine cogente uendimus et cum hac presenti publica carta omni tempore ualitura liberando tradimus Deo et monasterio Sancti Danielis scilicet loco infirmerie in perpetuum in manu et potestate de te Berengaria de Palaria, informaria eiusdem loci, totum illum nostrum capudmansum et totum honorem nostrum integre quem habemus in parrochia Sancte Marie de Seliia quem tenemus per monasterium Sancti Danielis, quem condam Renallus de Milicia, pater mei Bernardi, emit a Poncio Ugoni Coltellerio, et totam illam fexiam terre quam uocant Modegeria, quam pater meus Renallus predictus emit a Mascharono. Item uendimus pro francho et libero alodio in perpetuum prefato monasterio scilicet loco infirmerie totam illam condaminam quam ibidem habemus, que affrontat ah oriente in honore Bernardi Boueti, a meridie in honore Bernardi de Colle, ah accidente in prato, a circio in uinea Bernardi Boueti, in qua condamina sunt due fexie, sicut terminate sunt ibi et diuise que tenentur pro Arnaldo de Lemina, dominium quarum ipse Arnallus de Lemina a Raimundo de Mediniano adquisiuit. Item uendimus pro francho et libero alodio predicto monasterio, scilicet loco infirmerie perpetuo totum illum campum quem similiter pater meus Renallus emit a Petro Raimundo de Uillademagno in predicta parrochia, et totam illam combam que dicitur Adroueria quam ego Bernardus Renalli emi a Brunissende Adroueria et filio suo Petro, et omnes illas uineas quas Renallus pater meus emit a Gerallo de Seliia in eadem parrochia, et totum illum mansum integre quem inhabitat per nos Guilielmus Renalli, quem pater meus Renallus iamdictus stabiliuit dicto Guilielmo Renallo in prefata parrochia. Item uendimus per franchum et liberum alodium prenominato monasterio scilicet loco infirmerie perpetuo totum illum molendinum integre quem habemus in prefata parrochia, cum omnibus suis proprietatibus et integritatibus et cum omnibus illis fexiis terre quas iuxta prefatum molendinum habemus. Hec inquam omnia prenominata et quicquid aliud habemus uel habere debemus iure illius uel ratione in predicta parrochia, exceptis pignoribus quas nobis retinemus, totum integre premissa monasterio Sancti Danielis, scilicet loco infirmerie in perpetuum uendimus et tradimus cum exitibus et ingressibus et pertinenciis et tenedonibus et uineis et terris cultis et heremis et arboribus diuersorum generum et cum omni honore culto et heremo eidem capitimanso quoquo modoubique pertinenti et cum

expleto qui ibi est et cum hominibus et feminis et censibus et usaticis et agrariis et iuuis et traginis et questis et toltis et forciis et placitis et stabilimentis et seruiciis et adeIDpramentis predicti mansi Guilielmi Renalli et reguis et capudreguis et omnibus aliis apparatus predicti molendini et cum omnibus aliis in eis habentibus eisque qualicumque modo pertinentibus, prout melius dici uel intelligi potest ad comodum et utilitatem predicti monasterii pro triginta quatuor marchis argenti boni et fini rectique ponderis, de quibus recognoscimus nos bene esse paccatos a te Berengaria de Paleria infirmaria, renunciando exceptioni non numerate peccunie et exceptioni doli, et rei non tradite. Et si amplius ualent hec omnia uel ualebunt precio antedicto, totum gratis et ex certa sciencia Deo et predicto monasterio, scilicet loco infermerie in perpetuum damus et tradimus, renunciando expresse suplimento iusti predi et auxilio et beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti predi succurritur et generaliter beneficio omnium legum et decretorum et consuetudinis. Et ideo de nostra iure ac potestate in dominium et potestatem predicti monasterii et loci infirmerie predicti tradimus et mittimus inde te dictam Berengariam de Paleria infirmariam cum hoc presenti publico instrumento in corporalem et uacuum possessionem, ad habendum et tenendum et omni tempore possidendum, ad omnem uoluntatem predicti monasterii et loci predicti perpetuo faciendam, saluo iure et dominacione monasterii Sancti Danielis predicti, scilicet de predicto capitemanso et eius pertinentiis, pro quibus omnibus dabitur inde sibi annuatim undecim solidos monete quatemis, et dabitur annuatim de predicto molendino Bernarda de Rieria tres squillatas blati tantum, et similiter dabitur annuatim de predicto molendino monasterio Sancti Saluatoris de Breda unam quarteriam frumenti, sine aliquo retentu, quem ibi uel inde non facimus, omnibus nostris uocibus et rationibus et omnium nostrorum in dominium et proprietatem predicti monasterii Sancti Danielis et loci premissi translatis in perpetuum. Et conuenimus per nos et per omnes nostros tibi Berengarie de Paleria, infirmarie predictae et omnibus successatricibus tuis prefata omnia semper facere habere et tenere in pace, et esse deffensores et garentes inde contra cunctam uiuentem personam; uerum si aliquis aliquid in predictis omnibus exigerit, tetigerit uel forifecerit siue emparauerit aut contradixerit tibi Berengarie de Paleria predictae uel successatricibus tuis, statim ponimus nos ante te et successatrices tuas in placito et extra placitum, in iudicio et extra iudicium, cum nostris propriis sumptibus et missionibus et laboribus; uerumptamen si aliquod dampnum uel grauamen siue missionem aliquam aliquo modo facere uel sustinere inde te uel successatricibus tuis oportuerit, nos conuenimus tibi et predicto monasterio Sancti Danielis et loco predicto infirmerie in integrum resarcire uestro simplici uerbo, sine sacramento et testium productione. Et de omni euictione et interesse obligamus tibi Berengarie de Paleria predictae et monasterio premissa et loco iamdicto infermerie in perpetuum quisque nostrum in solidum nos ipsos et heredes nostros et omnia bona nostra mobilia et immobilia habita et habenda generaliter et specialiter, semper et ubique. Et ego Berengaria, uxor predicti Bemardi Renalli, gratis et ex certa sciencia renuncio iuri ypothece quod habeo uel habere deo aut mihi competit uel competere debet ratione dotis et donationis in omnibus bonis dicti Bemardi Renalli mariti mei; et ad maiorem firmitatem ego et dictus Bemardus Renalli maritus meus iuramus in Deum et super

sancta .IIII.or Dei Euangelia nostris propriis manibus tacta hec omnia superius scripta semper rata et firma habere et in perpetuum obseruare et non in aliquo contrauenireiure aliquo uel ratione. Et si aliquo iure scripto uel non scripto siue exceptione uel occasione aliqua in futurum huic uendicioni obuiam ire possemus, illi iuri per uirtutem predicti sacramenti prorsus irreuocabiliter in perpetuum per nos et per omnes nostros renunciamus. Si quis hoc rumpere uoluerit, non ualeat.

Actum est hoc .XIIII. kalendas ianuarii anno Domini .MCCXXX. sexto

Sig+num Berengarie, uxoris ipsius Bernardi Renalli, qui hoc firmo firmarique rogo. (s. man.) Bernardus Renalli, qui hoc firmo*. (s. man.) Petrus de Prato, terrens locum Sancti Saluatoris uiolario iure, subscribo*. Sig+num Petri de Corniliano. Sig+num Arnalli Ermengaudi. Sig+num Bernardi de Balneolis. Sig+num Petri Iohannis Textoris. Sig+num Guilielmi de Manzulino, clerico. Sig+num Catalane, qui hoc firmo*.

(s. man.) Guilielmus Guardierii qui hoc scripsit mandato Bernardi Stephani, Gerundensis canonici et publici notarii, cum litteris rasis et emendatis in .VI. linea ubi dicitur "uendimus" et in .VIII., ubi dicitur "sunt .II. fexie sicut terminate sunt ibi et diuise que tenentur", et aptatis in .XI., ubi dicitur Petro, et suprascriptis in .XIIII. et in .XV., in loco ubi dicitur "in predicta parrochia", et rasis et emendatis in .XVII. et suprascriptis in .XL. una. Bernardus Stephani, Gerundensis canonicus et publicus notarius, subscribo (s. man.).

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 239-242